

**BREVE
SANCTISSIMI
DOMINI NOSTRI
ALEXANDRI PAPAE
8. QUO DECLARAT...**

Alexander 8.>



[The page contains extremely faint and illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document. The text is scattered across the page and cannot be transcribed.]

ALEXANDER PAPA VIII.



AD FUTVRAM REI MEMORI-
A M. Alias emanarunt à Foel. Rec. Innoeē-
tio PP. x. prædeceſſore noſtro littere in ſimi-
li forma Breuis tenoris, qui ſequitur videl:
Ad perpetuam rei memoriam. Cum aliàs
poſtquam foel. rec. Clemens PP. VIII. præ-
deceſſor noſter motu proprio omnes im-
munitates, exemptiones, & libertates, ac
priuilegia quecumque per Duces Ferrariæ quibusuis perſonis
conceſſa, licet poſt Ciuitatis, & Ducatus Ferrarienſis ad Sæ, San-
ctamque Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam deuolu-
tionem ſecutam, ac eiufdem Ciuitatis, & Ducatus Sibi, & Ca-
meræ Apoſtolicę incorporationem per eum factam reſoluta,
& extincta fuiſſent, ac eſſent de ſpeciali gratia renouauerat, & de
nouo conceſſerat, & deinde diuerſis particularibus perſonis ſi-
milia priuilegia, immunitates, & exemptiones ipsis pridem à
dictis Ducibus conceſſa nominatim etiam innouauerat, ac de
nouo etiam conceſſerat, accepto per eundem Clementem præ-
deceſſorem, quod multi ex dictis priuilegiatis prætendebant ſe
vigore dictorum priuilegiorum à cuſtodijs, laborerijsque Aggerum
fluminis Padi, & Aquæductuum publicorum exemptos,
& immunes eſſe, ac propterea ijs contribuere, & interuenire for-
ſan recuſabant, idem Clemens prædeceſſor mentem ſuam in
premiſſis declarans perpetuò ſtatuerit, & ordinauerit, vt omnes
vtriuſque ſexus perſonę quantum vis priuilegiatę huiuſmodi, &
quacumque perfulgerent dignitate, cuſtodijs, operibus, labo-
rerijs, & factionibus quibuscunque Aggerum fluminis Padi
& Aquæductuum publicorum arbitrio tamentunc, & prò tem-
pore exiſtentis Sedis Apoſtolicę in Ciuitate, & Ducatu prædi-
ctis de latere legati, ſeu eius Vicelegati, aut Gubernatoris, ſeu al-
terius Superioris contribuere perinde tenerentur, ac ſi illis nul-
la quoad hoc priuilegia, & exemptiones, quas ad hunc effectum
reuocauit, conceſſa fuiſſent, ſub indeque per eundem Clemē-

tem prædecesorem etiam accepto, quod multi, qui postea à se, et dicta Sede diuersa priuilegia, immunitates, & exemptiones obtinuerant; prætendebant, illorum vigore se à contributione supradicta liberos, & exemptos esse, eoquè prætextu custodias, opera, laboreria, expensas, & factiones supradicta facere recusabant. Postmodum idem Clemens prædecesor, qui vltra supradictos voluerat, vt etiam Ecclesiastici à præmissis nullatenus exempti existerent motu simili declarans similiter sue mentis, & intentionis nunquam fuisse, nec esse, aut fore, vt quicumquè etiam à se, & ipsa Sede exemptiones, libertates, immunitates, & priuilegia quantumuis amplissima, & quomodocunquè concepta habentes à prædictis custodijs, operibus, laborerij, expensis, & factionibus quibuscunquè exempti esse deberent, illos omnes, & singulos quibus ab eodem Clemente prædecesore, dictaque Sede huiusmodi priuilegia, immunitates, exemptiones, & libertates concessa eatenus fuissent, ac quibus in posterum abinde concessa forent, sub diuersis eiusdem Clementis prædecesoris in simili forma Breuis desuper emanatis litteris comprehendendi, & ad contribuendum subsidijs, operibus, laborerij, expensis, & factionibus supradictis equè, ac alios priuilegiatos supradictos iuxta earund: litterarum seriem omninò teneri, & obligatos fore, & esse, & ad id cogi, & compelli posse illisque, & cuicumquè illorum priuilegia, immunitates, libertates, & exemptiones ab eod: Clemente prædecesore, & dicta Sede concessas, & in posterum concedend: etiamsi id nominatim, & specificè eis concessum appareret, quod tamen contrà, & præter mentem & intentionem ipsius Clementis prædecesoris, & per errorem irrepsisse declarauit, quo ad prædictam contributionem nullatenus suffragari posse, aut debere, & alias sub certis modo, & forma tunc expressis decreuit, prò vt in dictis eiusdem Clementis prædecesoris litteris die XVIII. Ianuarij MDC. & diexviii. Aprilis, ac xiv. Nouembris MDC. iij. emanatis, quarum tenores præsentibus prò plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus vberius continetur. Nunc autem nos communi bono, & conseruationi totius Status, & Ducatus prædicti opportunè prospicere, ac dilectos Filios Iudicem, & Magistratum dictæ Ciuitatis nostræ Ferrariensis, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, et eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interditi, aliisque ecclesiasticis sententijs, censuris, & penis à

iure

interesse habentes vocati, & auditi, neque præmissis consensere-
 rint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nos-
 træ vel quopiam alio defectu notari, impugnari, redargui, aut
 in ius, vel controuersiam reuocari, vel aduersus illas quoscun-
 què iuris, facti, vel gratiæ remedium im petrari nullatenus posse,
 sed semper validas, & efficaces existere, & fore suosquè plena-
 rios, & integros effectus fortiri, & obtinere; Sicquè per quoscun-
 què Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij
 Apostolici Auditores, etiam de latere legatos sublata eis & eo-
 rum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate;
 & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & ina-
 ne si secus super his à quoquam quauis auctoritate scien-
 ter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea dilecto
 filio eidem moderno, & prò tempore existenti nostro, & Apo-
 stolicæ Sedis in Ciuitate, & Ducatu prædictis de latere legato,
 seu eius Vicelegato, vt quoscunque ex supradictis, & alios quosuis
 cõtribuere forsitan recusantes vel renitentes auctoritate nostra op-
 portunis iuris, & facti remedijs quacunque excusatione, & ap-
 pellatione postposita cogat, & compellat, nullis omnino re-
 cursibus, neque inhibitionibus à quouis almæ Vrbs nostræ Tri-
 bunalis prò tempore, præterquam vigore commissionis manu
 nostra signatæ emanatis, quas circa præmissa nullatenus admit-
 ti, vel attendi debere decernimus, sed cuiuscunque controuersia su-
 per præmissis tam motæ præterquam vigore commissionis ma-
 nu nostra signatæ, etiam coram quibuscunque dictæ Vrbs Tri-
 bunalibus, à quibus præsentium vigore eas auocamus, quam per-
 petuis futuris temporibus mouendæ cognitionem, ac determi-
 nationem ad prædictum modernum, & prò tempore existen-
 tem nostrum, & Apostolicæ Sedis in prædicta Ciuitate, &
 Ducatu de latere legatum spectare, ab eoque manu regia sine
 strepitu, & figura iudicij, & quibuscunque appellatione, nul-
 litate, & recursu prorsus remouis definiri, ac terminari volumus,
 ac mandamus, Sicquè per quoscunque Iudices ordinarios, &
 delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata
 eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi
 facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irr-
 tum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scien-
 ter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omni-
 bus, & singulis illis, quæ idem Clemens prædecessor in suis lit-
 teris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibus-
 cunque

cunquē. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Pif-
catoris die VI. february MDCLij. Pontificatus nostri anno oc-
tauo. Cum autem sicut nomine dilectorum filiorum Iudicis &
Magistratus Sapientum dictæ Ciuitatis ferrariensis Nobis nuper
exponi fecit dilectus filius Marchio Iosephus Maria Estensis
Taffonus eiusdem Ciuitatis apud Nos, & Sedem Apostolicam
Orator, tametsi in litteris præinfertis satis clarè, & expressè
omnes, & quæcunquē exemptiones, & immunitates à Custo-
diarum, operum, laboreriarum, expensarum, factionum, & im-
positionum huiusmodi supportatione reuocatæ, & abrogatæ fue-
rint, nihilominus pleriquē, licet commodum inde sibi proue-
niens sentiant, contrà tamen omnem æquitatis rationem, incom-
modum sentire recusantes sub prætextu variorum priuilegiorum
à prædictis Custodijs operibus, laborerijs, expensis, factionibus,
& impositionibus se eximere satagant in graue cæterorum, qui
onera huiusmodi promptè sustinent præiudicium, quippe in-
quos illud, quod alijs remittitur refundi necesse sit. Nobis prop-
terea dictus Marchio Iosephus Maria præfatorum Iudicis, &
Magistratus nomine humiliter supplicari fecit, vt in præmissis
opportunè prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apo-
stolica dignaremur. Nos igitur prædictæ Ciuitatis, eiusquē Ci-
uium, & incolarum commodis, & vtilitatibus, quantum cum
Domino possumus, consulere, dictosquē exponentes specialis
fauore gratiæ prosequi volentes, & eorum Singulares personas
à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijs-
quē Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis à iure vel ab ho-
mine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet
innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat conse-
quend, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes huius-
modi supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum nost-
rorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & con-
trouersijs Iurisdictionalibus præpositorum consilio, ne de cætero
quisquam cuiusquē status, gradus, ordinis, conditionis, præe-
minentiæ & dignitatis existat, à Custodijs, operibus, laborerijs,
factionibus, ac impositionibus tam factis, quàm faciendis supra-
dictis immunis, seu exemptus sit, vel esse debeat, ita vt omnes,
& singuli, tam laici etiam priuilegiati, quàm Ecclesiastici Se-
culares, & cuiusuis ordinis Congregationis, & Instituti tam
mendicantium, quam non mendicantium, etiam Societatis Iesù,
nec non militiarum, & ordinum militarium quoruncunquē,
ctiam

etiam Hospitalis S: Ioannis Hierosolymitani Regulares, Camera nostræ Apostolicæ Præsidentes Clerici, alijquæ eiusdem Camera ministri, & officiales, Archiepiscopi, Episcopi, & S: R: E: Cardinales, seu alia specifica, & indiuidua mentione, & expressione digni pro rata bonorum in Territorio, & Ducatu prædictis ad quemcūque illorū quouis titulo seu quauis ratione pertinētium, custodijs, operibus, alijsquæ prædictis tam ordinarijs, quā extraordinarijs iuxta taxas desuper factas, seu pro tempore faciendas contribuere teneantur, & obligati sint, seruata in reliquis litterarum prædictarum forma, & dispositione, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, & quatenus opus sit de nouo statuimus & ordinamus Decernentes pariter ipsas præsentis litteras, & in eis contenta quæcunquæ etiam ex eo quod præfati, & alij quicunquæ etiam specifica, & indiuidua mentione digni, ac Cardinalatus honore fulgentes in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentis emanarint sufficienter adductæ, verificatæ & iustificatæ fuerint, aut ex alia quacunquæ etiam quantumuis legitima, iuridica, & priuilegiata causa, colore, prætextu & capite, etiam in Corpore Iuris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo vnquā tēpore de subreptiōis, vel obreptiōis aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, aut Sedis Apostolicæ, vel interesse habentium consensus, aliove quocunquæ etiam quantum vis magno, & substantiali, ac indiuiduam expressiōem requirente defectu, notari, impugnari, inualidari, infringi, retractari, limitari, seu modificari, in controuersiam vocari, seu ad terminos Iuris reduci, aut aduersus illas a peritiōis oris, restitutionis in integrum, aliud ue quodcunquæ Iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concessio, vel emanato, quæ piam in Iudicio, vel extrâ illud, uti, seu iuuare vilo modo posse, sed easdem præsentis litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosquæ plenarios & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurū in omnib' & per omnia plenissimè suffragari & ab illis respectiue inuolabiliter obseruari. Sic que, & non aliter in præmissis per quoscunquæ Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E.

E. Cardinales etiam de latere legatos, eorumque Vicelegatos, cæterosue quoslibet quacunque prææminencia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari & definiri, debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari Quo circa dilecto filio nostro moderno, & pro tẽpore existenti in Ciuitate, & Ducatu nostris Ferrariens. de latere Legato, aut eius Vicelegato per præsentis cõmittimus, & mādamus quatenus ipsi, vel alter eorum per se vel alium, seu alios præsentis litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, & quoties prò parte Iudicis, & Magistratus præd: desuper fuerint requisiti Solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illos præsentium litterarum, & in eis contentorum huiusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna Iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendi seruatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstan: præmissis, & quod Cardinales prædicti sub Regulis, & Constitutionibus faciendis non comprehendantur, cæterisque nostris, & Cæcellariæ Apostolicæ Regulis, ac rec; mē. Bonifacij PP. VIII. prædecessoris pariter nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis ac in Vniuersalibus, Prouincialibusque & Synodalibus Concilijs, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non dictæ Ciuitatis, ordinum, Congregationum, Societatum etiam Iesu, ac dicti Hospitalis, cæterarumque militiarum, & ordinum militarium, alijsue quibusuis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, & vsibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, Chirographis, Cedula motuum priorum, & alijs scripturis, & litteris etiam Apostolicis prædictis alijsque personis, Ordinibus, Congregationibus

tionibus, Societatibus etiam Iestu, ac Hospitali, cæterisque militijs, & ordinibus militaribus, & alijs quibuslibet etiam vt præferatur qualificatis, ac speciali nota, & mentione dignis, etiam si nominatim esset exprimend: sub quibuscunque verborū tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque & alijs decretis in genere, vel in specie etiam inexcogitabilibus, & necessario exprimendis etiam cōtractus iurati cum Iudice, & Magistratu prædictis initi, & Camerali obligatione vallati, & quouis alio robore, & cautela firmati editis, seu factis, ac alijs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata exprimerentur, & infererentur præfatis pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dūtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti M. DC. LXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. F. Card. Albanus.



1009230